QUÆSTIO MEDICA

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS

MANE DISCUTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORUM,

Die Jovis 25. Januarij.

M. JOANNE CORDELLE

DOCTORE MEDICO, PRÆSIDE.

An Cephalææ venarum jugularium ſectio?

I

UT Principis Regia eſſe ſolet aliorum ædibus inſtructior, ita caput Rationis animæ facultatum reginæ domicilium, cæteris corporis partibus eſt longè elaboratius; quæcumque illarum ſingulæ complectuntur, hoc ſolum complectitur omnia: in ſui meditullio cerebrum recondit viſcerum ut excelſiſſimum ita & excellentiſſimum, cujus ſubſtantia ſequax & cerea, magnæ glandulæ non abſimilis, innumeris vaſorum rivulis irrigua, quatuor ſinubus, quos plexus choroeidis propagines interius perreptant, excavata, duplici membranarum involucro circumtecta eſt; quibus cranium, ſeu oſſeum vallum, & ipſum propriâ membranâ, aliiſque communibus tegumentis obvolutum, fornicis in modum circumjicitur. Mirum profectò in multiplici adeò ſtructurâ naturæ artificium; ſed quò elaboratius, eò in morbos proclivius; hinc caput nulli non patet morborum generi: laborat proprio vitio; laborat alieno; dum excipit quidquid impuri malè moratæ partes infernæ efferunt ſursùm: hinc univerſæ molis ſpurcities, nervorum irritatio, ductuum infarctus, oppletio ventriculorum, membranarum oblæſio, à quibus er-

rores mentis, ſpaſmi, cataphorici affectus, cephalalgiæ, quæ frequentiores eò ſunt ac acerbiores, quò major & exquiſitior in capite nervorum ac membranarum apparatus.

II.

DOLORUM capitis nòn unus idemque modus, ſed varia multiplexque ratio. Cephalalgiâ modò tentatur caput, modò Cephalæâ. Illa potiùs ſequitur efficientis cauſæ vehementiam; hæc potiùs vitium & infirmitatem cauſæ ſuſcipientis: ſcilicet quæcumque Cephalæam procreat efficiens cauſa, ea ſemper levis eſt ac imbecillis, ac longè mitior quàm quæ Cephalalgiam parit. Hinc Cephalææ contumacia major; nam quicunque morbi à cauſæ ſuſcipientis imbecillitate ſoboleſcunt, ij longè graviores contumacioreſque exiſtunt, quàm qui ſequuntur vim efficientis. Cephalæa dolor eſt capitis conſuetus, ægrè cedens, inveteratus, qui parvis ortus initiis, ſæviſſimas habet exacerbationes. Qui eâ tentantur neque adſtantium ſtrepitus ferre poſſunt, neque vel leviores loquentium ſuſurros, non luminis ſplendorem, non potionem vini, non caput ferientes odores, non agitationem vel minimam ſuſtinere. Ob doloris magnitudinem otium quærunt ac tenebras, ut quibus veluti malleo caput pertundi videatur, aut eas, quæ circa caput ſunt, membranas quaſi diſtendi ac divelli: iiſdem aures ſonant; oculi rubore perfunduntur; venæ frontis diſtenduntur; rubor faciem occupat, nec raro uſque ad oculorum radices dolor extenditur.

III.

CEPHALÆÆ inducendæ non ſufficit Dyſcratia: id ſolùm quod ſentientium in capite partium continuitatem ſolvit, ejus eſt cauſa. Aër nempè ſive ab igne, ſive à ſole calidior; frigus nimium; ventus Aquilonaris ac Auſtrinus; odor gravis; percuſſio, ictus, caſus; humor aut vapor bilioſus, acer ac membranas feriens, dolorem parit acrem erodentem, ac veluti perforantem; gravantem frigidus ac pituitoſus; flatuum aut humorum mitiorum exuperantia, qui inter calvam & pericranium, vel inter calvam duramque meningem ſe ſe inſinuant, eaſque membranas diducunt ab oſſe, diſtendentem: ſanguis tenuis ac bilioſus, imò & ſpiritus redundans, quo diſtentæ ac turgentes arteriæ pulſant vehementiùs membranaſque concutiunt, pulſantem. Sic pro-

caufarum varietate varia multiplexque Cephalææ idea ac fpecies, cujus impetus experitur, quifquis minùs cautè fe gerens, ejus caufas congerit intra fe; hinc fexus uterque quolibet tùm anni, tùm ætatis tempore Cephalææ obnoxius; fœminæ tamen frequentiùs eâ tentantur, ob defidem vivendi rationem & nimiam in alendis ac ornandis capillis diligentiam.

IV.

CEPHALÆA, chronicus affectus, longas polliceri videtur inducias, fed fucatas & fallaces, quibus non nifi ignavus fidat & imprudens: incautos fæpiùs in terrore plenos affectus præcipitat; commotis agitatifque fpiritibus, vigilias accerfit infuperabiles; eversâ cerebri œconomiâ delirium parit ac infaniam; humore in oculos prolabente cæcitatem inducit; eodem cerebri fubftantiam imbuente, aut reticulos opplente, Apoplexiam; nervos obftruente, ac fpirituum commeatus impediente Paralyfim affert, Lethargum fi putrefcat, Epilepfiam fi malignè corrumpatur. Occafio igitur etiam in Cephalæâ præceps, ac fummum in morâ periculum. Medicus ftatim opitulatrices adhibeat manus: ad fanguinis miffionem tutiffimam illam morborum omnium anchoram, quàm citò intrepidéque confugiat: fanguis ex utraque Cephalicâ, virium habitâ ratione, fubinde detrahendus & clifmis paulò acrioribus alvus proluenda: venarum, quæ ad malleolum funt, fectio, propter nimiam diftantiam vix quidquam promovere par eft: Ranuncularum fub linguâ venarum divifio ob exiguitatem inutilis: Cucurbitulæ, rubificantia, fcarificationes, capillorum derafio, vix ullius funt momenti: purgantia etiam validiora impactam materiam adurerent; Errhina fpiritus redderent concitatiores: utramque paginam adimplebit venarum jugularium fectio in Cephalææ curatione nunquam prætermittenda.

V.

METICULOSUS nimium, qui jugularium fectionem reformidat, ipfis veterinariis familiarem; peritus Chirurgus qui eam adminiftret, advocetur: collum non conftringat arctiùs, ne præfocet, fed laxam ex ratione ligaturam circumducat, ut fanguis hoc pacto non guttatim, fed rivulosè erumpere queat. Vulnus fit non amplum, non par-

vum, ſed mediocre: non tranſverſum, ſed obliquum. Ubi ſanguis erit ſiſtendus, amoveatur ligatura, & ſtatim ejus fluxus inhibebitur: nullâ emplaſtri maſtichini, nullâ ſuturæ neceſſitate, ſi ex arte vas fuerit apertum. Venæ jugulares internæ ſunt aut externæ: Externæ ſub cute ſursùm repentes, capitis partibus externis proſpiciunt: internæ ad tracheæ Arteriæ latera deſcendentes, ac in craſſam meningem ejuſque ſinum deſinentes, conſulunt internis: magnum inter utraſque commercium eſt, adeò ut, ſi in Cephalæâ externæ aperiantur, affectus, ſive internus, ſive externus fuerit, in propriis laribus jugulabitur: humor morbi parens viâ maximè certâ ac perbrevi, haud dubiè foras protrudetur; revulſio fiet ac derivatio; Seri agreſtioris, ac bilis fervidioris componetur Orgaſmus: quibus, ut exeant acriores fuligines ac ferocientes ſpiritus, reſerabuntur oſtia. Quid plura? uno remedio omne in perſanandâ Cephalæâ negotium adimplebitur.

Ergo Cephalææ venarum jugularium ſectio.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Antonius le Moine.	*M. Petrus Legier.*	*M. Germanus Preaux.*
M. Guido Creſcentius Fagon, familiæ Reginæ Medicus ordinarius.	*M. Nicolaus Robin.*	*M. Franciſcus Blondel.*
M. Iacobus de Bourges.	*M. Franciſcus Sorand.*	*M. Iacobus Renaut.*

Proponebat Lutetiæ CLAUDIUS MARILLIER, Neocaſtrenſis, A.R.S.H. MDCLXXIV.

PARISIIS,
Ex Typographiâ FRANCISCI MUGUET, Regis ac Illuſt. Archiepiſcopi Typographi.